44

EPISTOLA


PASTORALIS

AD

CLERUM ET POPULUM

FERRARIENSEM





ROMAE

TYPIS JOSEPHI SALVIUCCI

1834

GABRIEL EX COMITIBUS

DELLA GENGA

DE MARCHIONIBUS SERMATTEI

SANCTISSIMI D. N. GREGORII PAPAE XVI.

PRAELATUS DOMESTICUS

DEI ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA

ARCHIEPISCOPUS FERRARIENSIS

AC PONTIFICIO SOLIO ASSISTENS

VENERABILIBUS FRATRIBUS ET DILECTIS FILIIS

CAPITULO, CLERO, POPULO

GRATIAM ET PACEM A DEO PATRE ET DOMINO NOSTRO JESU CHRISTO.

Ut primum cognovimus consilium Sanctissimi Domini Nostri GREGORII XVI. vocandi nos ad Ferrariensis Ecclesiae Regimen, magna fuit nostra admiratio summae illius benevolentiae quam novo rursus specimine erga nos Supremus Pontifex testabatur; verbis autem exprimere non possumus quanta simul perturbatione fuerimus perculsi tremendum illud onus considerantes quod vel ipsis Angelicis humeris est formidandum. Nihil itaque magis nos urgebat quam ut protinus ad pedes Summi

Pastoris provoluti grati quidem animi nostri sensa exhiberemus pro singulari illa in nos propensione; sed onus deprecaremur ex quo non solum animae nostrae, verum etiam animabus vestris periculum imminere timebamus. Mira qua pollet clementia filium recepit Optimus Pater, ita se velle confirmavit, dejectum erexit, obsequentem habuit; ast timorem omnem non dispulit. Qua enim ratione timorem deponere possemus nos, qui virtutibus caremus quibus praeditum decet esse Episcopum? Qui curam pastoralem jubemur suscipere dum ea est temporum iniquitas ut officio suo rite fungi nonnisi difficulter possit, qui dotibus omnibus vel maxime est ornatus? Praecipuum Episcopi munus semper fuit ut velut alter Timotheus sanae doctrinae depositum custodiat, Catholicae fidei talentum inviolatum, illibatum conservet (1). Quantum providere debet ut commissae sibi oves non nisi ad sana pascua ducantur, tantum invigilare tenetur ut arceantur lupi. Quis autem Pastor sibi, gregique suo non trepidet in tanta philosophandi licentia dum omnia re-

(1) S. Vinc. Lir. Com. c. 27.

plent errorum magistri recte ab Apostolo *homines* vocati *mente corrupti* qui *a fide reprobi* non nisi profanis novitatibus delectantur? Quomodo Ecclesiae disciplinam promovebit Episcopus, dum vel ipsa naturae jura proteruntur, conculcantur; dum divinae, humanaeque leges omnes susdeque vertuntur; dum quaevis spernitur dominatio, majestas omnis blasphematur?

Attamen memores quod nondum sit abbreviata manus Domini, in Ipso spem nostram et fiduciam omnem collocamus tanto securius quanto minus de nobismetipsis confidere possumus. Sanctissimam quoque Genitricem Dei Mariam Reginam nostram totis praecordiorum affectibus et votis omnibus invocamus; pergant, licet, filii Belial insidiari Ecclesiae, suasque in orbem universum despumare confusiones; per ipsam conterentur novae illae haereticae pravitates quae antiqui Serpentis caput virtutis pede contrivit (1). Per Mariam confidimus, pastorum Princeps, Christus Jesus trepidationem nostram solabitur, fidem excitabit, roborabit spem, diffidentiam abiget,

(1) S. Bern. Serm. de 12. St.

eriget pusillanimitatem. In nostrum adjutorium vocabimus etiam Ferrariensis Ecclesiae principes, Angelos vestros tutelares, ut de finibus vestris perfidiam omnem auferant, gressus nostros dirigant, in omnibus viis nostris nos custodiant. Juvabit etiam gloriosissimos invocare Patronos Georgium et Maurelium; hi enim sunt, ut S. Basilii verbis utamur, *qui acceptam a Deo regionem vestram quasi turres quaedam contra adversariorum incursum munientes refugium exhibent. Qui aliqua premitur angustia ad hos confugit. Hi erunt optimi curarum nostrarum Socii* (1).

His armati praesidiis, hac spe recreati nihil jam magis desideramus, Venerabiles Fratres et dilectissimi Filii, quam faciem vestram videre, os ad os loqui; tantoque abundantius festinabimus ad vos venire, quanto laetiora sunt quae audivimus de indole vestra optima, de conservata apud vos fidei integritate, deque avito Religionis studio et pietatis amore quem contra hominum impiorum conatus fovere pergitis, memores Praepositorum vestrorum, a quibus accepistis quomodo vos opor-

(1) S. Bas. or. in SS. 40. MM.

teat ambulare et placere Deo. Utinam a Divina benignitate nobis detur vestigiis ipsorum inhaerere, bonumque disciplinae ordinem conservare, quem a Clar. Mem. Alexandro Cardinale Mattei constitutum adeo feliciter promoverunt Carolus S. R. E. Cardinalis Odescalchi et Philippus Filonardi ille, quem optimum parentem nuper vobis ereptum lugetis!

Itaque os nostrum patet ad vos, Ferrarienses, cor nostrum dilatatum est propter quod non sustinentes amplius divelli a vobis, hisce litteris convenire vos voluimus, donec coram Vos amplecti, pleniusque cor nostrum vobis pandere possimus.

Ad vos autem primo Sermonem nostrum dirigimus, Venerabiles Fratres, Dignitates, et Canonici Ecclesiae Metropolitanae, *qui angelicorum Ordinum Stationem imitantes sine cessatione laudes et hymnos offertis Conditori.* (1) Ordinem vestrum praecipuo amore prosequimur, Vestra officia nostrae praecipuae deliciae, quibus fungendo utinam apud Lateranensem Basilicam, cui a S. M. Pio VIII. de nobis praeclare merito fueramus adscripti, vitam

(1) S. Jo. Chrys. Hom. 1. in Vid. Dom.

nostram finire licuisset! Ast animae nostrae solatium hoc jam inter vos quaerimus saepe, quo et arctius nos vobiscum constringamus a quibus etiam maximum in curis nostris levamen et auxilium jure speramus. Hic enim ab priscis temporibus institutionis vestrae finis est, ut Episcopo in Dioeceseos administratione consilio et doctrina praesto sitis; quanto autem sublimius super Ecclesiae candelabro estis collocati, tanto majori virtutum splendore coeteris omnibus praelucere debetis. A Vobis discant, oportet, presbyteri et reliquus Clerus quomodo in suis functionibus Angelos aemulari debeant pietate, modestia, gravitate. Supra omnia autem pacem et charitatem mutuam habetote quod est vinculum perfectionis; ita eritis forma gregis ex animo, nostrum vero gaudium et corona.

Vos dein compellimus, Adjutores nostri dilectissimi, qui verbi Dei praedicatione et administratione Sacramentorum nostras apud populum istum vices geritis. Videte ministerium vestrum quanti sit momenti, quanti periculi. Curae vestrae ac sollicitudini concreditas habetis oves nostras a die quo per S. Ba-

ptisma ad ovile Ecclesiae sunt admissae, usque dum viam ingrediuntur universae carnis. Cum vestrae vitae sanctitate, cum vestra in divinis muneribus reverentia et assiduitate populi universi fides, moresque stent, cadantve necesse est; erit namque sicut populus sic et Sacerdos. Nobiscum igitur pascite qui in vobis est gregem Dei, providentes non coacte sed spontanee secundum Deum; neque turpis lucri gratia, sed voluntarie. Parvulos nutrite lacte doctrinae; solidiori cibo adolescentes instruite; operarios vos exhibete inconfusibiles recte tractantes verbum veritatis et non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis. Infirmos in fide suscipite, erigite pusillanimes, peccantes corripite in spiritu lenitatis. Haec et alia muneris vestri opera si diligenter impleveritis, Fratres dilectissimi, portabitis utique pondus diei et aestus; sed patientes estote, sic enim abundanter ministrabitur vobis introitus in aeternum regnum Domini nostri et Salvatoris Jesu Christi.

Vos denique omnes quotquot estis sacro addicti ministerio, Sacerdotes et Levitae, mementote quod secundum Eum qui vocavit vos

Sanctum, et ipsi in omni conversatione Sancti esse debeatis. *Agnoscite quod agitis, imitamini quod tractatis, quatenus Mortis Dominicae Mysterium celebrantes, mortificare membra vestra a vitiis et concupiscentiis omnibus procuretis* (1). Atque liceat hic, Fratres dilectissimi, cor nostrum latius effundere: undenam evenire putemus, quod adeo vacillare incipiat populorum fides, adeo in dies crescat rerum, personarumque sacrarum contemptus? nisi quia, ut scribit S. Gregorius, *Susceptae benedictionis ministerium vertimus ad ambitionis argumentum; Dei causas relinquimus, ad terrena negotia vacamus; locum Sanctitatis accipimus, et terrenis actibus implicamur* (2). Nostrum est, qui Sal terrae sumus, verbo et exemplo mentes fidelium contra incredulitatis corruptionem condire; quod si ipsi peccamus, qui aliorum peccata compescere debemus; si quam verbis profitemur, operibus negamus fidem; quid aliud expectabimus nisi ut velut Sal infatuatum ad nihil ultra valentes, foras mittamur hominum pedibus conculcandi.

(1) Pont. Rom.
(2) Hom. 17. in Luc. 10.

Scribimus etiam vobis, adolescentes, ecclesiasticae militiae tyrones, Filioli nostri carissimi, vos pupilla oculi nostri, Ecclesiae nostrae spes et expectatio, vos imprimis fovebimus uti et praecipua amplectemur dilectione. Sed hortamur vos ut priusquam ad SS. Ordinum gradus progrediamini, iterum, atque iterum consideretis sicut homo ille Evangelii qui volens aedificare turrim, prius sedens computat sumptus si habeat ad perficiendum; num scilicet parati sitis etsi juniores nihil amplius puerile gerere in animo; ita Deo militare, ut non amplius vos implicetis negotiis saecularibus; ita dare vos ad diligentiam lectionis legis et prophetarum ut boni Ministri efficiamini Christi Jesu, enutriti verbis fidei et bonae doctrinae; ita sectari justitiam, pietatem, fidem, caritatem, patientiam, mansuetudinem, ut in omnibus Vos praebeatis exemplum bonorum operum? Sic enim sperare poterimus ut multiplicata gente, Ecclesiae quoque magnificetur laetitia.

Ad Vos properamus, Religiosi Viri, pretiosae reliquiae Sacrarum Familiarum quae quondam adeo pulchra varietate Ferrarien-

sem Ecclesiam decorabant; a vobis etiam Fratres optatissimi, plurima in pastorali nostra sollicitudine adjumenta nobis pollicemur; a vobis enim qui omnia reliquistis ut Christum pauperem pauperes sequeremini, qui mortificationem Jesu in corpore vestro semper et ubique circumfertis; qui veluti cor unum et anima una charitate fraternitatis invicem diligitis; a vobis, confidimus, discent habitatores terrae hujus, non in incerto divitiarum spem reponere; non carnis desideria sequi, sed mundi hujus inquinamenta devitare; nulli malum pro malo reddere, sed pacem habere cum omnibus. Juvabit nos quoque vestra in orando assiduitas, estis namque veluti custodes illi super muros Jerusalem constituti, qui tota die et nocte non cessatis laudare nomen Domini. Dum autem alii ex vobis veluti Moyses perseverant in oratione, alii veluti Josue praeliabuntur nobiscum praelia Domini, collaborabunt Evangelio tanto efficacius, quanto dignius Evangelio conversantur.

Venimus etiam ad Vos illustrior portio gregis Christi, Virgines Deo devotae, Vos, quae veluti Columbae purissimae non inveni-

stis ubi in saeculi hujus corruptione pedem tuto collocaretis. Jam in Arca Domini receptae et a mundi hujus contagione remotae, *pergite, Virgines, pergite perseveranter in finem; laudate Dominum dulcius quem cogitatis uberius; sperate felicius, cui servitis instantius; amate ardentius cui placetis attentius* (1). Sic fiet in vobis quod scribit Apostolus: *Virgo cogitat quae Domini sunt, ut sit Sancta corpore et Spiritu.* Sic agnum sequemini quocumque ierit; sic lampades vestras obviam Sponso portabitis luce bonorum operum fulgentes, nec triste illud *nescio vos* audire timebitis.

Maximum denique auxilium nobis pollicemur a vestra cooperatione, Filii omnes dilectissimi, Principes, et Judices terrae, Magistratus et Optimates, summi et infimi quotquot estis Pastorali nostrae curae commissi; novimus enim quanta sit illorum qui vobis praesunt, sollicitudo ut beatam et tranquillam vitam agatis; quanta sit omnium erga sublimiores potestates reverentia et submissio. Cum autem ea vivamus tempora ubi quidquid a perversis saeculi amatoribus aliquando

(1) S. Aug. L. de S. Virginit. c. 27.

deliratum fuit de constituenda humana felicitate, novis iterum curis instauratur; nobisque timendum sit ne etiam ad vos vanae hujusmodi opiniones pertingant; cumque adeo pronae sint hominum mentes in carnales delicias, in conquirenda per quaslibet vias bona terrena; nos Vobis inculcare non cessabimus illam Christi sententiam *Quaerite primum Regnum Dei et justitiam ejus, et haec omnia adjicientur vobis*. Dicant filii hujus saeculi: *Beatum populum cui haec sunt*, divitiae scilicet et voluptates; nos populum illum infelicissimum dicemus quem cum Regio Propheta ideo *beatum* pronuntiare non possumus, quod sit *Dominus Deus ejus*. Etenim *inde necesse est ut fiat homo beatus, unde fit bonus* (1), quemadmodum egregie S. Augustinus docet: *Religionis Christianae praecepta de justis probisque moribus si simul audirent atque curarent Reges terrae et omnes populi, Principes et omnes judices terrae, juvenes et virgines, senes cum junioribus, aetas omnis capax, et uterque sexus, et quos Baptista Joannes alloquitur exactores ipsi atque milites; et terras vitae praesentis*

(1) S. Aug. Ep. 130. ad Prob.

ornaret sua felicitate respublica, *et vitae aeternae culmen beatissime regnatura conscenderet* (1).

Finem tandem imponimus, Venerabiles Fratres, Filiique dilectissimi, obsecrantes Vos omnes ut ferventes fundatis preces pro SANCTISSIMO PAPA NOSTRO GREGORIO XVI. quem in tanta temporum nequitia ad regendam et tutandam Ecclesiam sanctam suam Deus suscitavit. Rogamus Vos ut etiam pro nobis Deum enixe exoretis, ut det nobis sedium suarum assistricem Sapientiam, quae nobiscum sit et nobiscum laboret, ut omnibus omnia facti Vos omnes faciamus salvos.

Valete, Fratres Venerabiles et Filii dilectissimi. *Gratia Domini nostri Jesu Christi et Charitas Dei et communicatio Sancti Spiritus sit cum omnibus Vobis. Amen.*

Datum Romae extra Portam Flaminiam III. Kal. Jul. An. MDCCCXXXIV.

(1) S. Aug. de Civ. D. L. II. C. 19.

IMPRIMATUR
Fr. A. V. Modena Or. Pr. S. P. A. M. S.

IMPRIMATUR
A. Piatti Archiepisc. Trapez.
Viceg.